

Utrum proprietates relative personas divinas precise suppositaliter habeant distinguere. Arguitur quod sic: illud habet precise personas divinas suppositaliter distinguere quo posito distinguuntur et quo remoto non distinguuntur. Sed proprietates relative sunt huiusmodi, igitur, maior nota, sed minor apparet. Quia in divinis omnia sunt unum ubi non obviat relationis oppositio, secundum Anselmum De processu Spiritus Sancti capitulo 3.

Ad oppositum arguitur sic. Proprietates relative presupponunt personas divinas agere. Igitur consequentia nota. Quia cum actiones sint suppositorum et si proprietates relative presupponant personas agere presupponunt ipsas iam esse supposita et per consequens suppositaliter distincta. Sed patet antecedens, quia ipse proprietates relative vel sunt actiones suppositorum vel ex ipsis resultant, sicut patet de generare et de paternitate, ideo enim pater est quia generat et non potest generare nisi sit suppositum etc.

Respondeo. Pro solutione questionis pono tres conclusiones. Prima conclusio est quod in divinis suppositis nullum suppositum absolutum habet fidelis ponere.

Probatur tripliciter. Primo sic: si in divinis esset aliquod suppositum absolutum, aut distingueretur suppositive a supposito Patris et Filii et Spiritus Sanctus, aut non, sed esset suppositive idem cum quolibet illorum trium. Sed neutrum potest poni, Igitur probatur minor. Quia non potest poni primum scilicet quod distinguatur, quia tunc in divinis esset quaternitas suppositorum quod est contra fidem. Nec potest poni secundum, quia si sit idem suppositive cum quolibet trium cum tale suppositum sit natura intellectualis erit persona et ita una persona numero absoluta esset communis tribus personis relativis sed hoc est impossibile immo est idem affirmare et negare, igitur. Patet, quia rationi persone repugnat (60va) communicari dicente Ricardo 4 De trinitate capitulo 2 et quod nomen persone nunquam intelligitur nisi aliquis solus ab omnibus aliis singulari proprietate distinctus diceretur. Igitur quod ibi erit una persona numero et quod erit communis tribus est dicere quod talis persona non est persona.

Secundo sic: si in divinis esset aliquid suppositum absolutum illud esset idem formaliter cum supposito Patris, et per consequens esset idem formaliter cum proprietate personali patris, sed hoc est falsum, igitur. Patet consequentia, quia illud suppositum non posset poni nisi in essentia in quia omnia sunt unum, sed falsitas consequentis probatur, quia si illud suppositum absolutum esset idem formaliter cum supposito Patris et cum proprietate relativa Patris tunc eadem esset formaliter proprietas constitutiva illius suppositi et suppositi Patris. Et eodem modo de Filio et Spiritus sanctus. Et tunc arguitur sic: aut illa esset proprietas absoluta una numero et tunc solum unum suppositum absolutum erit in divinis et non erunt plura supposita relativa sicut dicunt iudei, quod est hereticum, aut illa proprietas erit una numero relativa et tunc per illam non constitueretur nisi suppositum relativum, et sic nullum esset suppositum in divinis absolutum, quod est propositum.

Tertio sic: si in divinis esset aliquod suppositum absolutum idem suppositum generaret seipsum. Sed consequens est impossibile et contra Augustinus 1 De trinitate capitulo 1 et contra Anselmum De processu Spiritus Sancti capitulo 2 dicentem, nec natura permittit nec intellectus capit existentem de aliquo esse illum de quo existit, aut illum de quo existit esse existentem de se. Sed probatur consequentia, quia si esset tale suppositum in divinis absolutum esset idem formaliter cum supposito Patris et Filii, tunc sic: generante Patre per se generati per se omne suppositum quod est idem cum supposito patris. Patet, quia oppositum includit repugnantiam intellectus. Igitur patre generante generat illud suppositum absolutum et eodem modo cum illud sit idem cum supposito Filii generato filio per se generatur illud suppositum quod est idem cum

supposito Filii, igitur illud suppositum generaretur sed non nisi a supposito generante. Igitur a se ipso, quia patre generante ipsum generat. Nec valet contra istam rationem instare de essentia divina que cum sit eadem patri et filio non tamen generat patre generante nec generatur filio generato. Ratio quia omni quod non est suppositum repugnat agere vel generare vel generari. Cum igitur ipsam non ponamus esse suppositum stat pa (60vb) trem generare et ipsam essentiam non generare.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: omne ad se existens in natura intellectuali est suppositum absolutum, sed in divinis preter relationes est aliquid nature intellectualis ad se existens, igitur illud est suppositum absolutum. Maior de se nota. Sed minor probatur per Augustinum libro De trinitate capitulo 2 dicentem "omnis essentia que relative dicitur est aliquid excepto relativo", et sequitur parum post "quapropter si pater non est aliquid ad se ipsum non est omnino qui relative dicitur ad aliquid. Et idem potest argui de Filio et Spiritus Sanctus, igitur quilibet eorum est aliquid ad se ipsum, excepto eo quod relative dicunt inter se. Sed excepto relativo non remanet nisi absolutum unum commune tribus, quia secundum Boetium sola relatio multiplicat trinitatem. Igitur quelibet persona divina cum relative dicatur est ad relativum per se existens et est tale natura intellectualis. Igitur tale est ad se et suppositum et personam. Igitur ibi est suppositum absolutum.

Secundo sic: omne illud quod in se est natura intellectualis indivisa in se et divisa ab omni alia essentia est suppositum et persona. Hoc patet in singulis tam hominibus quam angelis, sed essentia divina in se est indivisa propter sui simplicitatem et est a qualibet alia essentia divisa et distincta quia omnis alia essentia est creata et est nature intellectualis, quia Deus. Igitur est suppositum et persona, sed ipsa essentia est absoluta et ad se. Igitur in divinis est suppositum ad se et absolutum.

Tertio sic illud cuius per se est aliqua actio per se est suppositum, sed essentie divine per se est aliqua actio. Igitur et ipsa est quid absolutum. Igitur essentia divina est suppositum absolutum. Maior patet per Philosophum 1 Metaphisice circa principium, quia actiones sunt suppositorum. Sed minor apparet, quia in Deo sunt aliquae actiones que nulli supposito relativo per se conveniunt, ut intelligere, velle, creare et huiusmodi. Sed omni actioni respondet per se agens. Igitur ibi est necesse dare suppositum absolutum, propter tales actiones absolutas et communes. Et confirmatur, quia omnis actio seu passio conveniens pluribus convenit eis per aliquod commune eis cui illa passio vel actio convenit. Sed subsistere in divinis convenit patri et filio et spiritui sancto communiter et indifferenter. Igitur convenit eis per aliquod suppositum commune eis quod subsistit primo. Tale autem non potest esse nisi suppositum absolutum, igitur (61ra) tur. Minor patet 1 Posteriorum textu commenti 2 et in exemplo. Nam quia risibile convenit Socrati et Platoni, sed non primo, quia convenit homini primo et illis qui homines sunt.

Respondeo. Ad primum nego minorem. Ad argumentum dico quod bene concedo quod in persona patris et etiam filii est aliquid excepto relativo, vel excepta relatione qua suppositum constituitur, scilicet ipsa essentia.

Sed dico quod ipsa essentia excepto relativo non existit ad se quia essentia solum existit et est in supposito relativo et preter supposita divina relativa non existit ipsa essentia. Vel aliter dico ad Augustinum quod omne quod dicitur relative est aliquid excepto relativo sic debet intelligi id est omne quod dicitur relative est aliqua res que non significatur illo nomine relativo, et sic concedo quod pater in divinis vel in creaturis est aliqua res que non significatur nomine patris etc.

Ad secundum concedo maiorem si talis natura sit in se indivisa in divisione suppositiva non autem de indivisione nature, hoc est dictum quod maior est vera si talis natura ex tali indivisione habente incommunicabilitatem pluribus suppositis quod non est de essentia divina.

Vel quod ad idem tendit duplex est divisio, scilicet personalis et essentialis. Maior est vera de indivisione personali et falsa de indivisione essentiali, et minor est falsa de indivisione personali et vera de indivisione essentiali, quia licet essentia divina sit indivisa a qualibet alia natura et essentia non tamen a qualibet persona.

Ad tertium concedo quod omnis actio divina est suppositi ut agentis vel unius si sit propria, vel plurium suppositorum, si sit communis actio et essentialis. Dico etiam quod ad hoc quod aliqua divina actio dicatur absoluta et essentialis sufficit quod sit a suppositis tribus relativus mediante principio essentiali et absoluto, et sic est in divinis. Pater intelligit vel creat quia Deus similiter filius et spiritus sanctus.

Ad confirmationem. Concedo quod illud quod convenit pluribus indifferenter et nulli eorum per aliud quod convenit eis per aliquod eis commune cui illud convenit primo aliquo modo convenientie. Sed dico ad minorem quod subsistere non convenit tribus relativis suppositis eorum primo sic quod non conveniat uni per aliud quia patri convenit a se filio, autem per patrem et spiritu sancto per patrem et filium. Vel aliter ad argumentum quod subsistere non est passio nec actio subsistentis suppositi cum subsistere sit de intellectu suppositi. (61rb)

Secunda conclusio est. Quod proprietates relative personas divinas precise suppositaliter habent distinguere. Probatur tripliciter. Primo sic: supponendo unam personam non esse sine alia, quia omnes sunt eterne et una eternitas illarum trium, ut ait magister libro 1 distinctione 31. Arguitur sic: relativo in quantum relativum repugnat esse sine suo extremo correlativo. Patet, quia relationem esse et nullius esse extremi includit contradictionem. Sed si persona prima per aliquod absolutum distingueretur ab alia, et non precise per relativum non repugnaret sibi esse sine secunda et sine quacunque alia. Quia nullam necessariam habitudinem haberet ad aliam sed sibi repugnat esse sine alia. Igitur distinguitur ab alia precise per aliud relativum.

Secundo sic: quicquid est in personis preter proprietates relativas est commune omnibus personis. Igitur precise distinguuntur suppositaliter per proprietates relativas. Consequentia nota, quia per nullum commune pluribus distinguuntur illa plura. Sed antecedens patet per Augustinum secundo De trinitate capitulo 6 quod non nisi ex solis relativis pluralem numerum oportet accipi in Deo et Anselmus in divinis omnia sunt unum ubi non obviat etc.

Tertio sic: solo relativo Pater distinguitur a Filio, igitur. Consequentia nota, quia eodemmodo distinguitur Pater a Spiritu Sancto et quilibet eorum a Spiritu Sancto sicut Pater a Filio, sed antecedens patet per Augustinum, qui super illud psalmi *infissus sum in limo profundi* etc. dat quadam regulam tenendam in trinitate quod in omnibus in quibus persone divine dicuntur ad se non distinguuntur personaliter, sed indistincte sunt. Ubi dicit sic quod vel quodad Filium Pater dicitur non est Filius quod vel quo Filius ad Patrem dicitur non est pater quod vel quo Pater dicitur ad se et Filius ad se hoc est Pater et Filius.

Ex quibus patet quod pater in omni eo quo ad se dicitur est indistinctus suppositaliter a Filio et econverso et solum per proprietates relativas ab invicem suppositaliter distinguuntur. Ista conclusio videtur ex hoc patere quia ubicumque in sacra scriptura ponitur personarum distinctio semper persone exprimuntur sub nominibus relativis. Unde ait Christus Matthei ultimo *euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

Amen. Et I Iohannis 5 *tres sunt qui testimonium dant (61va) in celo, pater verbum et spiritus sanctus* hoc autem non esset si persone haberent aliqua propria distinctiva preter huius proprietates relativas precipue, cum sit verisimile quod salvator personas expressit sub ipsarum distinctionibus propriis.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic omnis relatio realis presupponit ante se realem distinctionem extremorum, sed in divinis proprietates relative sunt relationes reales. Igitur presupponunt realem distinctionem extremorum suorum. Maior patet. Ex hoc enim dicitur quod idemptitas non est realis relatio quia non presupponit ante se extrema realiter distincta. Et minor patet, quia omnia que sunt in divinis sunt entia realia et non per intellectum fictitia. Igitur proprietates relative presupponunt extrema realiter distincta. Sed talia extrema sunt persone divine. Igitur proprietates relative non distinguunt personas divinas, sed ipsas presupponunt distinctas esse.

Secundo sic: pater est aliquis et est pater, sed non eodem modo est aliquis et pater, quia paternitate est pater et paternitate non est aliquis, quia tunc filius non esset aliquis quia in se formaliter non haberet paternitatem, nec esse aliquis includit esse patrem, quia tunc ut prius filius non esset aliquis, Igitur pater est aliquis excepto eo quod est pater et eodemmodo potest argui de filio quod est aliquis excepto eo quod est filius et similiter de Spiritu Sancto. Igitur in divinis tres aliqui exceptis relationibus sunt, sed esse aliquem in natura intellectiva est esse suppositum. Igitur exceptis relationibus in essentia divina sunt tria supposita, igitur absque relationibus distincta.

Tertio sic: per illud distinguuntur divina supposita per quod suppositum productum terminat productionem producentis. Sed filius terminat generationem patris et non sub proprietate relativa. Igitur distinguuntur a patre et non per proprietatem relativam. Maior patet, quia omne productum sub ratione qua productum distinguitur a producente. Sed probatur minor, quia si filius sub ratione filii esset per se terminus formalis generationis non magis generaretur filius per generationem quam pater. Sed hoc falsum, Probo consequentiam, quia pater non est pater nisi quia ei est filius. Si igitur filius est per se terminus generationis ratione filiationis cum ex hoc est pater quia ei est Filius pater ex hoc generat se patrem quia generat filium sicut igitur acquisitio filiationis per generationem (61vb) erit ipsi filio generatio sic acquisitio paternitatis erit ipsi patri generatio etc. Ex isto argumento patet quod qui ponit gignens et genitum non differre suppositive nisi per relationes ponit idem suppositum gignere se cum per generationem generans sibi acquirat suum proprium ad aliquid filio genito quare sicut acquirere filio filiationem per generationem est gignere filium sic acquirere patri paternitatem per generationem erit gignere patrem.

Respondeo. Ad primum, nego maiorem si sumatur universaliter nam ubi relationes consistunt supposita in esse suppositali et referibili non est verum, sicut est in natura divina sed bene est verum in creaturis ubi relationes non constituunt et ubi in identitate nature singularis non potest esse relatio realis. Vel aliter dico quod omnis relatio realis vel presupponit extrema realiter distincta vel ipsa constituit sic quod relatio realis non potest esse absque reali extremorum differentia. Sed ex hoc non sequitur quod omnis relatio realis presupponat semper extrema ante realiter esse distincta.

Ad secundum dico quod eadem proprietate relativa pater est pater. Et est aliquis scilicet paternitate et eadem filius est filius et aliquis scilicet filiatione et sic de spiritus sanctus. Et cum probatur quod non, quia si eadem proprietate pater esset pater et aliquis cum filius non habet

illam proprietatem filius non esset aliquis. Nego consequentiam. Unde dico quod argumentum imaginatur unum falsum, scilicet quod in divinis sint conceptus aliqui universaliores, aliqui magis particulares qui contrahantur a rationibus universalioribus et minus universalioribus sicut est increaturis, ut puta quod alia ratione homo est animal alia corpus alia substantia, sed non sic est in divinis. Quia ibi omnis conceptus est singularis, scilicet significans rem singularem, quia omnis conceptus ibi aut significat essentiam vel personam que tamen sunt res singulares. Dico igitur quod cum iste terminus aliquis non possit stare pro essentia oportet quod stet pro persona unde in persona patris pater et aliquis sunt idem convertibiliter similiter in persona filii, similiter in persona spiritus sancti. Et sic concedo quod quia filius non habet proprietatem qua pater est aliquis quod ipse non est ille aliquis qui est pater similiter pater non est ille aliquis qui est filius. Unde li 'aliquis' est terminus communis patri et filio solum secundum vocem, sed non secundum rem unam per ipsum terminum significatam sicut et persona.

Ad tertium nego minorem. (62ra) Ad probationem nego consequentiam. Unde dico quod filius sub proprietate relativa primo et per se est terminus generationis ex qua naturali concomitantia sequitur habitudo paternitatis in supposito generato ad suppositum generatum, et ideo hic est falacia secundum quid et simpliciter. Ex generatione sequitur habitudo paternitatis suppositi generantis ad suppositum generatum, Igitur ex generatione suppositum patris generatur.

Tertia conclusio est que sequitur ex predictis. Quod proprietates relative personas divinas suppositaliter habent constituere. Probatur tripliciter. Primo sic: nullum constitutum alicuius persone predicatur de alia persona sed omne absolutum predicatur de qualibet persona, igitur. Maior nota, sed minor patet, quia omnia absoluta dicuntur secundum substantiam et omnia talia omnibus personis sunt communia.

Secundo sic: quodlibet suppositum divinum est relativum, igitur. Antecedens est prima conclusio. Sed patet consequentia, Quia quodlibet suppositum relativum debet constitui per proprietates relationis.

Tertio sic: proprietas relativa solum multiplicat divina supposita, igitur. Antecedens patet per Boetium in libro De trinitate, dicentem quod in divinis substantia continet unitatem, relatio vero multiplicat trinitatem et consequentia tenet. Quia quod suppositum aliquod construit ipsum ab aliis dividit et sic multiplicat supposita.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: persona divina dicitur ad se, igitur. Consequentia patet, quia secundum Magistrum libro 1 distinctione 22. Que ad se dicuntur relativa non sunt. Et antecedens patet per eundem distinctione 8 primi.

Secundo sic persona divina dicit substantiam, igitur. Consequentia patet, quia ex non substantia non potest substantia constitui. Antecedens patet per diffinitionem persone datam a Boetio dicente quod persona est rationalis natura individua substantia.

Tertio sic: omnis relatio presupponit **ante** esse illud quod refertur ipsa relatione. Sed illud quod refertur relatione divina non est essentia divina, quia ipsa non refertur, nec distinguitur, sed suppositum. Igitur relatio divina presupponit suppositum divinum. Igitur ipsum non constituit.

Respondeo. Ad primum dico quod ideo persona dicitur ad se quia in communi sumpta non importat relationem quia sic abstrahitur ab absoluto et relativo. Quod autem illo modo dicitur ad se non oportet quod dicatur substantialiter. (62rb)

Ad secundum dico quod illa diffinitio corrigitur. Quia ubi Boetius ponit substantiam alii ponunt subsistentiam, dicentes quod persona est natura rationalis incommunicabilis subsistentia.

Ad tertium patet per solutionem primi argumenti contra conclusionem secundam etc.

Ad argumentum principale in oppositum nego antecedens. Ad probationem dico quod proprietates relative non sunt actiones, nec sequuntur actiones suppositorum cum ipsa supposita constituent, sed bene actiones suppositorum divinarum concomitantur ipsas proprietates relativas, et sic patet ad questionem.

Utrum in eterno patris supposito paternitas sit idem quod activa generatio. Et videtur quod non, quia quodcumque aliqua sunt idem, de quocumque predicatur unum et reliquum. Patet per primum principium scilicet de quocumque affirmatio vel negatio, etc. Sed pater vel paternitas predicatur de aliquo in divinis, de quo non predicatur generare, quia predicatur de essentia, quia veraciter est pater, ut habetur libro primo De summa trinitate et fide catholica capitulo 'damnamus'. Et de essentia non predicatur generare, quia, ut ibidem determinatur, essentia divina non generatur, nec generat. Igitur generare et esse patrem non sunt idem, et per consequens nec paternitas et activa generatio.

Ad oppositum est magister in ista distinctione qui ait quod proprietas qua pater est pater est quia semper genuit et hec eadem dicitur paternitas vel generatio.

Pro solutione quaestionis pono conclusiones prima conclusio est quod in creato patris supposito paternitas non est activa generatio. Probatur tripliciter.

Primo sic: activa generatio desinit esse paternitate manente in creato supposito, igitur. Consequentia nota, quia contradictionem implicat unam et eandem rem desinere esse et non desinere, sed patet antecedens, quoniam desinente esse actuali generatione qua Socrates generat Platonem, adhuc Socrates est pater Platonis et sic in Socrate manet paternitas.

Aliter quamdiu pater et filius manerent semper filius actualiter generaretur a patre et sic pater dormiens generaret quod est impossibile, igitur.

Secundo sic: generare est actio, paternitas non est actio. Igitur consequentia nota per primum principium, quia de quolibet affirmatio vel negatio et de nullo simul.

Sed antecedens patet quoad primam partem, scilicet quod generare sit actio in creaturis, quia est actus generantis quo generatum effective producitur, sed quoad secundam partem, scilicet quod paternitas non sit actio patet, quia Socrates est pater Platonis nihil penitus agente vel producente immo etiam dormiente.

Tertio sic: in supposito creato stante Dei lege et in statu nature lapse activa generatio non potest esse sine peccato saltem veniali paternitas potest esse sine omni peccato, igitur. Consequentia nota per primum principium. Sed patet antecedens quoad primam partem, quia activa generatio non potest esse sine copula carnali et carnalis copula sine aliquo peccato esse non potest, ut ait magister libro 4, distinctione 26, capitulo primo. Quo ad secundam partem patet, quia non implicat aliquem esse patrem et sine omni peccato tam mortali quam veniali esse sicut forte fuit de beato Petro post missionem spiritus sanctus.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: in creato filii supposito idem est gignitio et filiatio, igitur in creato patris supposito idem est paternitas et generatio consequentia nota. Quia eodem modo quo se habet gignitio ad filium sic generatio ad patrem et sicut filiatio ad filium sic paternitas ad patrem et antecedens notum ex hoc quia idem est filius et genitus.

Igitur idem est filiatio et gignitio et patet ista consequentia, Quia filiatio idem est quod filius et gignitio idem est quod genitus.

Secundo sic: pater et genitor sunt idem, igitur paternitas et generatio. Patet antecedens, quia pro eodem penitus supponunt. Et consequentia patet. Quia quorum concreta sunt idem et eorum abstracta sunt idem, cum abstracta includantur in concretis sicut si idem est principians et producens, idem erit principiare et producere cum principians includat principiare et producens producere.

Tertio sic: pater inquantum pater refertur ad filium inquantum filius est per paternitatem et generationem activam. Igitur in supposito patris idem est paternitas et activa generatio. Patet consequentia, quia unum correlativorum unico modo consideratum non refertur ad aliud unico modo consideratum nisi unica relatione, cum diversitas relationum aliquam diversitatem requirat extremorum. Sed patet antecedens, scilicet quod referatur per paternitatem, quia pater filii pater. Quod per generationem, quia genitor geniti genitor, et tamen sunt idem pater et genitor, similiter filius et genitus.

Respondeo. Ad primum nego (62vb) antecedens. Ad probationem concessio quod filius et genitus sint idem, nego tamen consequentiam igitur gignitio et filiatio sunt idem. Quia non eodem modo se habet gignitio ad genitum sicut filiatio ad filium. Quia filiatio est relatio referens filium ad patrem quamdiu filius et pater existunt, sed gignitio non sic habet referre genitum ad genitorem, sed solum pro mensura pro qua genitus a genitore gignitur, quia fundamentum filiationis est ipse filius, fundamentum vero gignitionis est ipsa passiva generatio.

Ad secundum, nego consequentiam. Ad probationem dico quod generare vel generatio non est abstractum huius quod est genitor, sed est eius actio vel ab ipso progrediens, vel ipsum in esse genitoris constituens. Vel dico ad probationem consequentie, quod quorum concreta sunt idem et abstracta sunt idem. Dico quod verum est quando abstractorum nomina eodem modo ipsa abstracta significant sicut nomina concretorum ipsa significant, quod non est in proposito. Nam genitor significatur per modum status et permanentis generare autem actus et fluentis.

Ad tertium nego antecedens. Quia pater per generare non refertur ad filium, cum ipsum per generare in esse constituat. Et cum dicitur quod genitor dicitur geniti genitor, dico quod genitor dicitur geniti genitor non habitudine relativa, sed habitudine productiva, qua omne agens dicitur ad rem factam, vel dico quod aliter consideratur pater, ut refertur ad filium per paternitatem quam quando refertur per generare.

Secunda conclusio est quod in increato patris supposito idem est paternitas et activa generatio. Probatur tripliciter. Primo sic: in eadem persona non possunt poni plures proprietates incommunicabiles, igitur. Patet antecedens, quia tunc quelibet daret incommunicabilitatem persone, et sicut una persona esset plures persone, vel duplex personalitas esset in eadem persona. Patet consequentia, quia paternitas est proprietas incommunicabilis similiter et generare est proprietas incommunicabilis in persona patris. Igitur si in patre paternitas non esset activa generatio in patre essent plures proprietates incommunicabiles.

Secundo sic: si paternitas in persona patris divina non sit activa generatio, sequitur quod in divinis erit rerum quaternitas. Consequens hereticum et contra Decretalem, libro 1, De summa trinitate et fide catholica, capitulo 'damnamus'. Et patet consequentia, quia cum pa(63ra) ternitas ponat in numerum cum filio et spiritus sanctus si poneret etiam in numerum cum activa

generatione, cum activa generatio non sit filius, nec Spiritus sanctus, tunc paternitas poneret in numerum cum tribus et sic esset quatuor res.

Tertio sic: si conclusio non sit vera, sequitur quod in persona patris sint quattuor notiones. Consequens falsum, et contra doctrinam sanctorum. Et consequentia patet, quia tunc in persona patris essent iste quattuor notiones, scilicet paternitas, inascibilitas, communis spiratio et activa generatio. Ista etiam conclusio expresse est de mente Magistri in principio istius distinctionis.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: quodcumque aliqua sic se habent quod unum est in uno opposito et aliud in altero opposito, illa non sunt idem, sed paternitas et activa generatio sunt huiusmodi, igitur. Maior patet, Quia talia sunt realiter separata sicut et opposita in quibus sunt. Et minor apparet, quia pater et filius sunt opposita relative et paternitas est in patre, generatio vero activa non est in patre, sed in filio, quod patet per Philosophum tertio Phisicorum textu commenti 20 dicentem quod actio non est in agente, sed in passo. Etiam patet ex alio, quia generare videtur egredi a patre et attingere filium et per consequens remanere in filio et non in patre.

Secundo sic: paternitas fundatur in activa generatione, igitur non sunt idem, consequentia patet. Quia idem non fundatur super agere vel egisse, ut dicit Philosophus 5 Methaphisice, textu commenti 20 etc.

Tertio sic: paternitas est forma quieta existens in patre per modum habitus, generare vero consistit in quodam fluxu et egressu a patre. Igitur non sunt idem. Antecedens patet ex virtute vocabulorum. Et consequentia nota, quia forma quieta consistens in habitu non videtur idem cum illa que consistit in quodam fluxu et egressu.

Respondeo, ad primum nego minorem. Ad probationem. Nego quod activa generatio sit in filio. Immo dico quod est in patre. Ad probationem cum dicitur quod actio est in passo, dicitur quod actio est duplex, quedam elicit a agente et ab ipso differens realiter, quedam est que non est elicit a agente sed est idem quod ipsum agens. Modo dico quod generare in divinis est actio secundo modo dicta, et non primo, ut patuit in tertia conclusione, 6 quaestione. Philosophus autem intelligit de actione primo modo dicta, que tamen actio primo modo dicta qua- (63rb) liter sic in agente et qualiter in passo alias dicitur. Per hoc idem dico ad secundam probationem.

Ad secundum, nego antecedens. Ad probationem dico quod Philosophus loquitur de relatione producentis et producti, cuius scilicet producentis actio est elicit a et ab ipso realiter differens tale autem produciens non est pater in divinis generans filium.

Ad tertium, dico quod generare in divinis ita est forma quieta sicut paternitas. Et cum hoc stat quod secundum nostrum modum intelligendi concipimus paternitatem per modum habitus, generare vero per modum fluxus, quia *invisibilia Dei per ea que facta sunt intelligimus*. Et quia videmus quod in creaturis paternitas se habet per modum habitus generare vero per modum fluxus ideo etiam sub talibus conditionibus concipimus in divinis paternitatem et generationem, licet tamen sint una res. Et sic ex argumento solum probatur quod differant conceptibiliter, sed non differant realiter etc.

Tertia conclusio est quod non ad compositum primo in creaturis terminatur naturalis et activa generatio.

Probatur tripliciter. Primo sic: compositum in generatione naturali est perfectius quam sit forma generata, igitur non generatur primo. Patet consequentia, Quia illud quod est primum



in perfectione est ultimum in generatione, secundum Philosophum cum Methaphisice textu commenti 15. Et antecedens patet, quia omne totum est perfectius sua parte, cum totum includat partem et non econverso. Cum igitur forma sit imperfectior ipso composito, ipsa generabitur primo.

Secundo sic: nullus effectus generatur prius quam sua causa, sed compositum est quidam effectus suarum partium, quia non habet esse nisi per partes, igitur.

Tertio sic: illud quod naturaliter ante suum esse presupponit aliquid non generatur prius quam illud quod ab ipso presupponitur, maxime si illud quod presupponitur sit generabile, sed compositum naturaliter presupponit materiam et formam, et forma est generabilis, igitur. Maior patet ex terminis et minor probatur.

Quoniam compositum resultat ex unione forme et materie, igitur presupponit formam et materiam.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic, in naturali generatione solum compositum generatur, igitur ad compositum primo in creaturis terminatur naturalis et activa generatio. Consequentia nota, quia ex hoc sequitur quod nihil prius composito generatur. Et antecedens probatur, quia in gene- (63va) ratione naturali non generatur materia, quia est ingenerabilis et incorruptibilis, 1 Physicorum textu commenti 82. Nec forma, igitur solum compositum. Sed quod non forma, primo sic. Ante generationem forma introducta nec ipsa, nec aliquid eius prefuit. Igitur creatur et non generatur. Consequentia nota, sed patet antecedens. Primo quod ipsa non prefuit in materia, quia aut secundum se totam, aut secundum partem. Si secundum se totam, igitur ante generationem compositi esset compositum, quod est falsum, quia ibi esset perfecta forma in materia. Nec potest dici quod forma prefuit in materia imperfecte, scilicet secundum partem, quia ipsa forma substantialis de qua loquimur est simplex et invariabilis, ut habetur in Sex principiis.

Secundo arguitur ratione Aristotelis 7 Methaphisice textu commenti 22 sic: omne quod fit primo fit ex materia et forma sed solum compositum habet materiam et formam, igitur.

Tertio sic: ad illud primo terminatur activa generatio ad quod ultimo terminatur corruptio. Sed ad compositum ultimo terminatur corruptio, igitur. Maior patet, quia generatio et corruptio omnino sunt opposita, et sic illud quod primo generatur ultimo corrumpitur. Et minor patet, quia compositum non corrumpitur nisi per resolutionem forme, Igitur corruptio compositi presupponit forme corruptionem.

Respondeo. Ad primum, nego antecedens, quia forma generatur. Ad probationem, cum dicitur quod creatur, quia nec ipsa nec aliquid eius prefuit in materia, dico quod verum est actualiter, ut probat argumentum, sed ipsa bene preexistebat in materia potentialiter, et ideo non creatur, quia creatio non requirit preiacentem materiam in qua existat potentialiter illud quod producit, et hoc non probat ratio.

Ad secundum dico quod maior potest dupliciter intelligi. Uno modo sic: omne quod sit primo, id est omne quod producit primo sit ex materia et forma, et sic est falsa. Alio modo sic: omne quod sit primo id est omne quod producit per actionem intenditur sic ex materia et forma, et sic est verum et nihil est contra conclusionem, quia bene concedo quod compositum primo per generationem, id est principaliter intenditur sed non quod primo generetur.

Ad tertium, nego minorem, quia compositum primo corrumpitur. Ad probationem dico quod compositum corrumpitur per resolutionem forme sic quod ad corruptionem compositi sequi- (63vb) tur forme resolutio vel corruptio non quod procedat tanquam causa. Posset etiam

negari maior, quia aliqua primo capiunt esse, que tamen primo desinunt esse, nam supponatur quod anima vegetativa et sensitiva non remaneant formaliter cum anima intellectiva, certum est quod vegetativa primo generatur, et tamen prius desinit esse quam sensitiva.

Ad argumentum principale in oppositum, nego minorem. Unde dico quod sicut paternitas predicatur de essentia scilicet identice ut dicendo essentia est paternitas sicut essentia est pater, ita eodem modo predicatur de generare. Unde sicut generare divinum est essentia divina, sic essentia divina est generare divinum. Non tamen sequitur 'essentia est identice generare, igitur essentia generat', Sicut non sequitur 'essentia divina est pater, igitur producit filium'. Ad decretalem dico quod bene negat quod essentia generet, sed non quod essentia sit generare, sicut ipsum generare est essentia. Et sic finitur quaestio ista.